



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.**

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex  
maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis  
opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè  
explicantur.

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetiis, 1647**

De Tempore Officij diuini. 6.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9521**

Romano sparsim habentur, & in quibus plurimi hærere possunt, & solent: licet in Breuiario ipso nuper edito suis locis eadem iam adnotauerimus.

De tempore Officij diuini.  
Tit. 6.

**D**ocet Francol. de hac resuissime, & par. 1. cap. 10. præcisum tempus cuiusque Horæ recitandæ debitum, esse intra spatium Horæ diei sibi respondentis, non extra illud, & cap. 21. Primam in prima diei hora, Tertiam in tertia, Sextam in sexta, Nonam in nona, Vesperas in vndecima, Completorium in duodecima recitandas esse; Matutinum autem post mediam noctem, auroram versus, sumitque ille horas cum latitudine.

A media nocte antecedentis diei incipit tempus recitandi Officij, & perseverat vsque ad mediam noctem sequentis inclusiuè. Est communis apud Bonac. disp. 1. quæst. 3. pun. 3. num. 2. ita vt ultra mediam noctem sequentis diei Officium præcedentis non valeat. Nauarr. cap. 3. num. 54.

Qui variat intra dictum tempus notabiliter horam à sacris Canonibus præscriptam, peccat venialiter. Bonac. loco cit. num. 4. nisi iusta causa excuset, quæ est maior deuotio, vel periculum probabile futuræ occupationis. idem num. 5. Quare nec tenetur repetere, num. 6.

Consuetudini in hac re standum est potius, quam iuri scripto. Azor. quæst. 8. in 2. obiect.

Satius est etiam anteponere, quam postponere. Azor. eum communi cap. 9. quæst. 3.

Matutinum, & Laudes ex iusta causa possunt recitari in Vesperis præcedentis diei, puta, vt deuotius oret, vel studijs mane operam det, vel quia non poterit mane ita commodè recitare. S. Thom. quodlib. 5. art. 28. & communis. & post Completorium satis est expectare tertiam, vel quartam horam post meridiem. S. Th. ibid. & alij apud Bonac. loc. cit. num. 16.

non ante horam vigesimam numero 17. Azor. autem docet cap. 9. quæst. 5. non ante 21. æstate, nec hyeme ante 22.

7 Prima ante solis ortum, vel paulò post. Tertia aliquantulum post ortum. Sexta paulò post. Nona prope prandium, Vesperæ, & Completorium post prandium. Tolet. lib. 2. cap. 23. sed excusatur ab omni peccato ille, qui recitat primam cum Tertia, Sexta, & Nona simul, duabus, vel tribus horis post Solis ortum. Bonac. loco cit. num. 9.

8 Qui verò differt Matutinum sine causa ad Vesperas, vel anticipat Completorium ante prandium, nimis notabiliter variat tempus; & peccat venialiter. Bonac. ibidem.

9 In Choro statæ horæ sunt obseruandæ magis, quam in priuata recitatione. Nauarr. cap. 3. num. 63. & alij cum Bonac. num. 7. qui tamen cum Caietano, secluso scandalo, censet non peccare mortaliter eos, qui extra statas horas in Choro recitant; & ibidem addit, posse ob processionem, vel concionem mutari horam, si quod est peccatum, imputant superiori potius, quam Canonicis, paratis tamen ad obediendum.

De loco diuini Officij. Tit. 7.

**V**Bique recitari potest priuatè. Azor. lib. 10. cap. 11. quæst. 8. modo non impediatur attentio. Nauarr. cap. 21. num. 32. & locus sit decens, ex Mofes. tract. 5. c. 2. num. 80.

2 In Choro vero tenentur recitare, qui Choro sunt addicci ex iustitia, iuxta institutionem beneficiorum, & consuetudinem locorum, nisi aliud cogat necessitas, vt hyemis tempore in Sacristia, vel adsit consuetudo legitima, vel priuilegium Pape, vel Fundatoris institutio. Bellarm. in lib. de bon. oper. cap. 18. vers. locus, & DD. communiter.

3 Vnde Canonici, qui ultra tres menses à Tridentino permisso notabiliter, hoc est, pluribus diebus, ultra quatuor, à Choro absunt, per se loquendo mortaliter peccant, vt silius Bonac. disp. 2. q. 1. p. 2. num. 1.